

16. #

DISSERTATIONEM PHYSICAM  
CIRCULAREM  
*De*  
**INSUFFICIENTIA  
PRINCIPIORUM CHEMI-  
CORUM AD EXPLICANDAS  
RES NATURALES,**

SUB PRÆSIDIO

VIRI

*Nobilissimi, Amplissimi atq; Excellentissimi*  
**DN. M. JOH. CHRISTOPHORI  
STURMII,**

Phil. Natural. & Mathem. in Illustri Lyceo Norico P.P.  
Celebratisimi,

*DN. Patroni, Praeceptoris ac Studiorum suorum  
Promotoris quovis honoris cultu Devenerandi,*

placido Philosophorum Examini

*D. XVI. Novembr. A. S. cīc īc XIC.*

*submittet*

**ERDMANNUS KUPITZIUS,  
Sorâ-Lusatus.**

Chemia


80, 14.

*ALTDORF! NORICORVM,  
Literis HENRICI MEIERI, Univers. Typographi.*

*Chemie 26. 83.*

А Г Т И Е И О Н И Я И Е М И  
С Е В Е Р С К И Й  
С А И Н И С К И Й  
С В Я Т А Я П Т А И С Я  
О Б О У Г С К И Й  
Е Я И  
И С С О Н С Т В О В О Й  
С И С Т Е Р  
Я. Л о б о в и с с у . К р и ш н а . С в а м и  
С о с с о в

М И А О О С С У . Ч а к с и т а  
И д е я . С а м а д а . С а м а д а .



## Præfatio.

**N**ter scientias & artes variis difficultatibus & hæresibus obnoxias, non ultimum, me judice, obtinet locum artium nobilissima & utilissima, *Chemia*: nam præterquam quod variis variis illius constituant seculas, nondum de principiis, nec de numero eorundem convenerunt; alii enim ipsa (tria scil. communia, Sal, Sulphur & Mercurium) in totum rejiciunt, alii non quidem penitus rejiciunt, non tamen omnino approbant; alii deniq; non solum approbant, sed in cœlum ipsum usque laudibus extollunt, imò non tantum producta *Chemica*, sed ipsas etiam res *Physicas* tantum non omnes ex earundem fundamentis explicare conantur. His verò, quantum à vero aberrent, præter accuratiores Philosophos, ipsi etiam cordatores *Chemici* jam dudum ostenderunt: hinc cùm Excellentissimus D. N. PRÆSES, Patronus, Præceptor atq; Studiorum meorum Promotor summus, in nupero Collegio *Physico privatissimo* (pro quo Ipsi immortales adbuc debeo gratias) controversiam hanc attigisset & insufficientiam eorundem ad explicandas res naturales sufficientissimè & accuratissimè demonstrasset, dulcedine & utilitate hujus materiæ ita captus sum, ut argumenta allata domi non solum ruminarer, sed scrupulos, qui fortè animum potuissent reddere dubium, Ipsi eximendos offerrem. Quod cùm felicissimè esset peractum, cum amicis quibusdam, ut eò magis confirmarer, colloquia & disputatiunculas institui privatas, ac tandem animi mei sensa de hâc materiâ in chartam conjicere non dubitavi, quæ nunc consensu & approbatione Excellentissimi D. N. PRÆSIDIS omnibus veram Philosophiam æstimantibus in Ordine Circulari ventilanda exponere mecum constitui. Quapropter à Te, B. L. rogo, ut ausum hunc in me-

liorem partem velis interpretari, & si quâ fortè in parte expeditationi Tuae non satis factum fuerit, cogitare, illum hominem, qui omnibus placeat, nondum natum esse; præprimis cùm non ostentationis (quoniam curtæ ingenii mei suppellectilis probè sum gnarus) sed exercitiū & indagandæ veritatis causâ labor hic à me suscep̄tus fuerit. Vale.

## CAPUT I.

*Principiorum Chemicorum naturam  
brevibus explicans.*

## §. 1.

**C**ùm animus nobis h̄c non sit conscribere Dissertationem aliquam Chemicam, aut de ipsâ chemiâ, multò minùs ejusdem principia fusiùs tradere, meritò præliminaria, quæ de eâdem alias dicenda forent, Historiam sc. seccas, aliaq; tanquam scopo nostro haud inservientia, omittimus, & eò lubentiùs quidem, quoniam Artis hujus nobilissimæ incrementa prolixius legi possunt in Doctissimâ Experientissimi Chemiatri Olaï Borrichii Dissertatione de Ortu & Progressu Chemicæ.

§. 2. Ut verò Lector omni principiorum Chemicorum notitiâ destitutus, sciat quid per eadem intelligamus, brevissimè quantum fieri poterit, pro instituti ratione eorumdem historiolam quandam trademus.

§. 3. Notandum autem statim in limine, nondum Chemicos, etiām hodiernos, inter se convenire de eorum numero, cùm alii quatuor, alii tria, alii quinque, alii duo tantum agnoscant.

§. 4. Primam opinionem quod attinet, quæ est Aristotelis & Peripateticorum, eadem ferè hodie exspiravit; demonstratum enim est, neq; Ignem, neq; Aërem, neq; Aquam, neq; Terram (prout scil. non in Scholasticorum cerebro sed in

in rerum natura existunt) entia esse simplicissima, multò minus singula ex omnibus corporibus posse separari. Accedit insuper quòd corpora quædam in plura quàm nominata modo principia Chymica possint resolvi, & hinc nomen principiorum eadem nullo modo mereantur.

§. 5. Quod & ante duo circiter secula jam vidit Basilius Valentinus, qui propterea principia tria antiquissima Hermetis, *Spiritus*, *Anima* & *Corporis* nomine insignita, denuò introduxit, quod inventum furtivè postmodum, ut *Helmontius* loqui amat, in se transtulit *Paracelsus*, mutatis tantùm nominibus, *Spiritum Mercurii*, *animam Sulphuris*, *corpus Salis* vocabulo distinctius designans, & ex his tribus cœ*principiis omnia corpora constare asserens.*

§. 6. Cùm verò Chemici Practici viderent in operatiōnibus & processibus plurimis, præter enumerata modò tria Sal, Sulphur & Mercurium, mediante Igne elici posse etiam aquam, ac tandem remanere terram, insufficientiæ arguerunt eadem, duo adhuc addentes *Aquam* & *Terram* sub titulo Phlegmatis & Capitis mortui; quamvis *Clarissimus Barnerus* in *Chemiâ suâ Philosophicâ* dicat illos errare, qui Phlegma quartum præter tria constituant principium, cùm unum reverà ex tribus illis, ac Mercuriale proprium sit principium.

§. 7. Verùm sunt adhuc plurimi, qui nec his assentuntur, inter quos & Celeberrimus ille Medicus Lugdunensis *Jacobus le Mort*, qui in *Chymia suâ Rationibus & Experimentis Superstructa Cap. II.* prolixissimè docet, omnia corpora duorum tantùm generum constare particulis, fluidis nempe & firmis, & ex hisce duobus principiis oriri sequentia quinque principia Chemicorum, Mercurium seu Spiritum, Sulphur seu Oleum, Sal, Phlegma & Terram; & hæc, quamvis videantur externis nostris sensibus inter se invicem planè differre, attamen in hæc duo facili negotio concurrere & re-

duci posse, nempe in Spirituoso-Aëream Aquam, & Terram spongiosam.

§. 8. Videtur & hic numerus binarius placuisse, quamvis diversissimo planè modo, Acutissimo Helmontio; hic enim in Tractatu, quem inscribit Causæ & Initia Naturalium, postquam §. 2. conatus est demonstrare Chemicorum tria principianon habere vim principiandi, paragrapho seq. putat duo tantùm nec plura esse corporum & causarum corporalium prima initia: elementum Aquæ nimirum seu initium *ex quo*, & fermentum, seu initium seminale *per quod*, i. e. dispositivum, unde mox producitur semen in materia.

§. 9. Sed missâ controversiâ de numero principiorum, utpote scopo nostro non adeò inserviente, ad magis necessaria & scopo proximiora nos accingimus, scil. ad explicationem trium illorum decantatissimorum principiorum Chemicorum, Mercurii nempe, Sulphuris & Salis. Interm si quis uberiorem de controversiâ hâc desideret explicationem, evolvat *Dan. Sennert. in Consens. & Dissens. cum Aristotel. & Galen. c. IX. Guerner. Rofincc. Chemiam in Artis formam Redact. Lib. I. c. XV. seqq. Clarissimi Dn. Jacob. Barneri Chymiam Philosophicam c. II. Jacob. le Mort Chymiam Rationibus & Experimentis superstructam, & Excellentissimi Dn. Joh. Mauric. Hoffmann. Patroni & Præceptoris mei æviternum colendi, Collegium Chemicum MStum, & plures in eodem citatos Autores.*

§. 10. Ut autem καθ' ὑσερον περιπτερον procedamus, initium loquendi faciemus de Sale, quod modò citatus nec unquam sine laude nominandus *Excell. D. HOFFMANNUS*, cuius manduictionem fidelissimam hîc sequemnr, *in Tyrocinio suo Chymico* definit, quod sint particulæ mixtorum activæ, acres, ac promptè in Aqua resolubiles. Inesse ipsis autem activitatem, quâ distinguuntur à Mercurio, probant men-

menstrua v. g. corrosiva ex iisdem confecta, omnia solventia; acrimoniam satis superq; interdum sentit gustus: resolubilia esse in Aqua, quâ conditione mediante à Sulphuribus discernuntur, & tyronibus, qui primis tantum, ut ajunt, labris attigerunt Chemiam, ignotum esse non potest, siquidem innumera phœnomena & quotidiana id testantur experientia.

§. 11. Sunt autem Salia alia vel Volatilia, vim Ignis diuturnam post suam separationem factam non sustinentia, sed in auras, nisi coercentur, affugientia: vel fixa in Ignis torturâ permanentia; vel tandem media, ex Volatili & fixo concorrente combinata. Cum verò Sal generale sit vocabulum, à Chemicis tripliciter consideratur, sub nomine sc. Alkali, Acidi & Enixi.

§. 12. Alkali quod attinet, definit id *Clariss. Barnerus*, quod sint partes Salinæ, activæ quidem solventes, non tamen corrosivæ, quæ adeoq; rodendo sive solvendo non coagulantur, ac non nisi cum Acidis effervescent. Ne autem & nomen intactum remaneat, sciendum, ita dictum esse ab herba Ægyptiaca Kali, si Dioscoridi credimus; hanc enim herbam cum Veteres comburendo incinerarent, indeq; Sal fixum elicenterent, postea omnia Salia per incinerationem ex plantis parata Alkalia vocarunt. Sunt autem Alkalia item triplicia, vel Volatilia, Urinosa alias etiam dicta, v.g. Sal Volatile Nasturtii: vel mediæ consistentiæ, quæ sc. adeò Volatilia non sunt, nec tamen penitus fixa, sed medium inter Volatilitatem & fixitatem, ut ita loquar, obtinent locum, qualia sunt Salia Essentialia Alkalica plantarum, v.g. Bellidis, Cichorii, item Sal Ocul. cancri, sanguinis Taurini, hircini &c. Vel fixa, lixiva vulgo, Tachenio Alkalifata dicta, v.g. Sal Chærefolii, &c.

§. 13. Relicto Alkali, Salia nunc considerabimus Acida, propter particulas suas acutiores & corrosivas quas habent

bent, ita denominata, quæ in triplici se nobis quoq; sistunt serie; dividuntur enim à Chemicis itidem in Volatilia, media & fixa. Ad Salia Volatilia Acida pertinet Spir. Vitrioli Volatilis, Spir. Vini, imò phlegmata nonnulla mineralium Acidula, e. g. ros Vitrioli. Salia Acida fixa suppeditant nobis terræ fossilia mineralia, Alumen, Nitrum, Sal Gemmæ & omnia Vitriola &c. exq; his Salibus composita, v. g. Spir. Vitrioli Philosophicus, Aqua Fortis, Aqua Regia, Butterum Antimonii &c. Salibus Acidis mediæ consistentiæ annumerari poterunt omnes Spiritus lignorum Acidi, v. g. Spir. ligni querni; item Salia essentialia dicta ex plantis parata, v. g. Sal Essentiale Acetosellæ, Berberum, & denique Aceta.

§. 14. Restant adhuc Enixa, Tachenio Salsa, Anglis Anomala, aliis Neutra dicta, quæ nec Alkalia, nec Acida quæ talia sunt, sed ex duobus, Acido nempe & Alkali quasi componuntur. Sunt autem & hæc in triplici differentia, fixa sc. Volatilia & fixo-Volatilia. Fixa sunt, quæ ex utrisq;, Acido nempe & Alkali fixo constant, quale fixum est Tartarus Vitriolatus & Salia Glaubero mirabilia dicta. Volatilia Enixa sunt, quæ ex utrisque Acido & Alkali Volatili componuntur, & huc referri possunt illa, Anglis, ut ante innuimus, Anomala dicta, ex Sale Volatili Urinoso & Spir. Vini constantia. Enixa fixo-Volatilia sunt, quæ ex Volatili & fixo, prout ipsum nomen indicat, combinantur: sunt autem duplicitis generis, vel enim constant ex Alkali Volatili & Acido fixo, quale compositum est Sal Armoniacum ex Alkali Volatili Urinæ camelorum, & Acidofixo Salis marini concretum; vel ex Acido Volatili & Alkali fixo, v. g. Arcanum sive Terra foliata Tartari ex Sale Tartari Alkalifato & Aceto destillato vini fortioris constans.

§. 15. Visis Salibus progredimur ad Sulphur: intelligimus autem sub vocabulo Sulphuris substantiam Oleofam,

sam, pinguem, inflammabilem, uno verbo, omne id quod ardet. Est verò itidem duplex, vel volatile, vel fixum; volatile est, quod admoto igne non solum facile accenditur, sed accensum etiam absunitur, quod observare licet in Spiritu Vini, item Spiritibus ardentibus aliis; Fixum contrà est, quod Ignis quidem flamمام promptè suscipit, non tamen deflagrat, sed Ignis vim illæsum sustinet, & ejusmodi sulphure præprimis abundant metalla. Ut nobis autem constet, quæ & qualia unumquodq; ex tribus regnis possideat sulphura, paucissimis ea indagabimus. Et quidem quod attinet Regnum Vegetabile, illud sub triplici formâ nobis subministrat Sulphur, vel sub forma Olei, quale ferè ex omnibus plantis licet colligere; vel sub formâ Spirituum ardentium, v. g. in Absynthio; vel denique sub formâ pulveris siccâ, ut in carbonibus!, cuius præparationem & separationem fidelissimè posteritati reliquit sæpè jam laudatus Chemiater Barnerus *Chymiae Philosophicæ Tract. III. c. VII.* p. 4II. In Animalibus Sulphur sese prodit sub pinguedinis & Olei formâ. Ad mineralia si progrediamur, & paulò accuratiùs inquiramus, in maximâ copiâ ibidem, tanquam in matrice inveniemus Sulphur. Deprehenditur autem aliud combustibile, quod accensum intra breve temporis spatiū planè absunitur, & huic classi annumerandum Sulphur vulgare & commune, Sulphur Antimonii, Vitrioli, Nitri, &c. Aliud incom'ustibile, quod incandescentiam diu sustinet, sine tamen deflagrationis periculo, & hujusmodi Sulphure superbiunt pleraq; metallorum, & præprimis ignobiliorum corpora.

§. 16. Convertimus nos tandem ad considerationem Mercurii, quem cum *Helmontiq* definimus liquorem aqueum à semine nondum maturatum. Non verò confundendus est cum Mercurio nativo, quo nomine insigniri solet liquor ille metallicus in fornicibus subterranearum fodinarum

rum reperiri solitus , & à similitudine , quam habet cum argento liquefacto & fuso , argentum vivum , nostratibus Quæd-Silber vulgò dictus . Cùm enim animadversum es- set , aquam seu phlegma naturaliter in mixtis existens æquè ac Mercurium illum metallicum , vi Ignis non solùm in va- porem resolvi , sed instar servi illius fugitivi etiam avolare , à Chemiatriis ipsi idem nomen impositum fuit . Duplex quidem vulgò Chemici , & inter eos *Henningius Scheuneman-nus* ia *Tractatu Medicina Reformata* inscripto , Mercuriale agnoscunt principium , utile alterum , Spiritum scil. inutile alterum , Phlegma ; sed cùm omnium consensu Spiritūs nihil aliud sint , quam salia in proprio phlegmate soluta , non video quo jure ipsis nomen principii Mercurialis possit tri-bui . Solum igitur Phlegma Mercurium constituere puta-mus , quod in tribus regnis sat largè se offert .

§. 17. Suppeditant autem ejusmodi Phlegma vegeta-bilia ferè omnia , quod in Spirituosis volatilibus subsequi , in Acidis verò præcedere solet . Nec in minore quantitate reperitur in animalibus , quod in sanguine etiam citra Ignis torturam , præsertim extravasato , sub nomine seri sese pro-dit ; imò auderem asserere & Urinam nihil aliud esse quām Phlegma aliquod salibus imprægnatum . Nec omni de-stituuntur Phlegmate mineraliâ ; exempli loco esse poterit Vitriolum , ex quo , licet mediante Calcinatione omnis hu-miditas quantum possibile separetur , per destillationem tamen nihilominus adhuc Phlegma fundit . Secus se res habet in metallis , præprimis perfectioribus , ex quibus Phlegma istiusmodi aqueum vix , licet maxima Ignis vis ad-hibeatur , separare licebit : ast cùm ex iis non raro teste Bar-nero Mercurii eliciantur reverà currentes corporum dicti , illi vices principii Mercurialis aquei , abusivè sic tantùm di-cti , facilè supplebunt .

§. 18. Et hæc de Principiis Chemicis pro instituti ra-tione

tione dicta sufficient, uberiorem & accuratiorem horum tractationem qui desiderat, adeat praeter suprà §. 9. citatos **Autores Gebrum Arabem. Lib.I. Chem. Part.II. c.25. seqq. David van der Beekhen / Experiment. & Med. circa Rerum Naturalium principia, Zwingeri Epistolam Principiorum Chemicorum Examini præfixam, Hartmannum in Disput. Hermetic. de Principiis Rerum Naturalium, Angelum Salam, & plures alios.**

## CAPUT II.

*Principiorum Chemicorum insufficientiam,  
si per ea sola res naturales explicare velimus,  
demonstrans.*

### §. I.

**E**xpositis breviter principiis Chemicis, nunc promissi memores, capite hoc demonstrare conabimur, principia hæc, si per ea sola explicare res physicas animus sit, nullatenus sufficere. Monemus autem statim sub voce principii nos intelligere principia mixtorum prima; quæ non indigent priore aliquo ad sui cognitionem, nec in alia specie diversa resolvi possunt, sed primæva sunt & simplicia corpora, ex quibus mixta componuntur, & in quæ ultimò resolvuntur.

§. 2. Hâc explicatione vocis principii præmissâ, non immeritò quæritur, an Principia Chemicâ nomen principiorum mereantur? &c. Si accuratè loqui velimus, vix ipsis hoc nomen attribui poterit, siquidem omnibus veræ Philosophiæ amatoribus, plerisque Chemicis etiam testibus, ipsa non solum in alia & illis priora (de quâ re deinde uberioris) reduci possunt, sed præterea omnibus etiam non insunt, nec ex omnibus, maximâ licet adhibitâ Ignis torturâ, separari possunt: id quod unicus probabit Mercurius, siquidem teste *Helmontio*, illo per Ignem Philosopho, impossibile

sibile est per artem & naturam ullâ ratione exinde trahere Sal aut Sulphur: ut taceam tria illa principia facillimè esse mutabilia, quod ex transmutatione salium in Spiritus & Spirituum in salia etiam Chemiæ tyronibus innotuit.

§. 3. Accedit quod pleriq; Virorum Doctissimorum non sine ratione dubitent, an tria illa in mixtis præexistant, an verò per Ignem demum ex iis eliciantur. *Helmontius Tractat. de Tribus Primis Chymic. Principiis §. 47.* posteriorem tuetur sententiam & fatetur Sal, Sulphur & Mercurium quidem ex quibusdam per Ignem elici, id tamen non fieri per separationem earundem præexistentium, sed quatenus per transmutationem ab Igne factam ibidem generentur tanquam nova entia, fierique quod non erant ante. Et §. 72. negat ipsa corporum universalia esse principia, scil. quoniam nec ante corporum compositionem extiterunt, nec confluxerunt ad mistionem faciendam, neque tandem per naturalem corporum resolutionem in vitæ ultimum terminum apparuerunt unquam in naturâ, sed duntaxat per artem Ignis, & tantum è quibusdam educuntur, quatenus semina rerum materiali principio Aquæ vestiuntur & proprii efficientis energiâ roborantur, partim Salis, & partim Olei proprietates assumunt: Mercurius autem corporum non est nisi pars Aquæ nondum sufficienti maturitate efficientis seminis grida. Nusquam ergo per se existunt, nusquam principiandi vires obtinent, eò quod suas naturas, conditiones, proprietates non habent ex alteritate quâ præexisterent, sed partim ex dispositione seminum defluentium in proprietates concreti, partimq; ex Ignis digestione & ustione inter separandum nausta: siquidem manifestum est, quod mutuâ transmutatione reciprocè ex se invicem fiant.

§. 4. Præterea principia hæc in illis priora posse reduci, & sic principia prima non posse dici, ipsi etiam accerrimi prin-

principiorum dictorum defensores, licet non explicitè, implicitè tamen fatentur: nam ex ipsis si quæras medicamentorum operandi modum, mechanicè eundem explicabunt: Exempli loco sit effervescentia, quæ Salium duorum Acidì & Alkali confusionem sequitur. Hujus luctæ internæ causam putant esse utriusq; particularum diversam conformatiōnē, figuram, motum, diversosq; poros; phœnomenon enim hoc exponentes supponunt particulas Alkalinas fissas & rimulis multis præditas, particulas verò Acidas conicas & acuminatas; cum itaq; hæ posteriores rimulas priorum intrant, & propter ipsarum angustiam sæpius impingunt, aut (quod Cartesiani superaddunt) in materia primi elementi sola, exclusis secundi elementi globulis, natare incipiunt, dicunt parere motum, qui vulgè effervescentia dicitur; quando verò Acidì spicula acuminata & conica, spatia in rimulis Alkali occupaverunt ac repleverunt, tunc cessare.

§. 5. Verùm ut insufficientia eorundem in Naturalibus, nisi explicatio accedat mechanica, eò clariùs patescat, exempli loco tres qualitates illas sensibiles, odores sc. sapores & colores, quas ex principiis suis præ cæteris explicant Chemici, examinabimus, & an discendi cupido, omniaq; ad principia prima referenti animo satisfaciat, apparebit.

§. 6. Odorem quod concernit, hunc omnium tum Physicorum tum Medicorum consensu effluvia pariunt rerum odorata; movetur autem inter eos controversia, num Sulphureis, num Salinis hæc effluvia constent particulis: pleriq; Sulphureis hunc effectum adscribunt, putantes Sal primarium & adæquatum esse objectum gustūs, Sulphur verò olfactūs, nec destituuntur rationibus; siquidem ad oculum demonstrari potest, si Olea separantur, tunc odores rerum perire, quod probari potest exemplo Spiritus Tartari vel Spiritus C. G. ex quo si particulæ Sulphureæ empyrev-

maticæ, Oleum ejus adustum constituentes, separentur, li-  
quor antea naufragabundus & graveolens, grato suaveolenteq;  
se commendabit naribus odore.

§. 7. At experimentum hoc, quamvis ita se habeat,  
tanti tamen non est momenti, ut propterea probet Sulphur  
quà tale esse objectum olfactùs, nam huic quamplurima  
alia possunt opponi experimenta, Sulphur enim in substan-  
tia omni destitutum esse odore, quis est qui nesciat? præte-  
rea nec in succino, cerâ Hispanicâ vulgò sigillatoria aliisque  
eiusmodi corporibus electricis, licet sint inflammabilia, &  
maximam partem constent ex Sulphure, unquam vel vesti-  
gium odoris fuit deprehensum, ex quibus satis superque  
patet, Sulphur quà tale minimè posse esse objectum odo-  
ratus.

§. 8. Consideremus nunc & illorum argumenta, qui  
Salia pro objecto odoratùs habent, & deprehendemus nec  
illos tam lubrico nisi fundamento, siquidem & ab ipsorum  
parte experientia quotidiana stare videtur. Sic Spiritum  
Salis Armoniaci ab omni planè Sulphure esse liberatum, ni-  
hilominus tamen sat penetrante odore afficere nares, eumq;  
insigniter imprimere Spiritibus, nemo nisi ille, cui hæc ha-  
bitus experiri denegatum fuit, in dubium vocabit. Huic  
experimento qui fidem adhibere nondum voluerit, ille Aci-  
da solummodo Volațilia, & ex his Spiritum Vitrioli, præser-  
tim recentem probeque à phlegmate liberatum admoveat  
naribus, & prodent ejus odorem, non minùs quàm Salis Ar-  
moniaci, lacrymæ copiosius ex oculis profusæ, quæ satis  
manifestè testantur olfactum quoq; judicare de Salibus.

§. 9. Επίνειοι nostra si expetatur & quaeratur quid nos  
sentiamus, putamus nec Sulphur, nec Salia, accuratè lo-  
quendo dici posse objectum odoratùs; experimenta enim  
pro utraq; hypothesi allata, licet indubiae sint veritatis, pro-  
bare tamen nondum videntur, Sulphur & Salia quà talia  
con-

constituenda esse objectum: meo enim iudicio particulæ illæ Sulphureæ & Salinæ reliquis effluviis & atomis mixtæ, dum nervorum filamenta per olfactū organa in naribus dispersa afficiunt, sicq; odorem pariunt, id præstare videntur, non quatenus Sulphureæ aut Salinæ, sed quatenus subtilest sunt & mobiles, eaque præditæ figurâ, quæ eadem facile movere apta sit. Hinc etiam explicari poterit, cur Sulphur crudum, succinum, reliquaq; corpora electrica integræ & inconcreto, nullum de se spargant odorem, cùm tamen id faciant Igne aut alio modo resoluta: sc. integræ dum sunt, particulæ odoratæ in altissimâ sunt quiete; quamprimum verò resolvuntur, motum acquirunt, quo mediante pro diversitate figurarum variè afficiunt nares, sicq; modò suaveolentis, modò graveolentis odoris existunt autores.

§. 10. Poterit igitur tandem concedi, odores rerum à Sulphure & Salibus dependere, fortasse tamen non solis, & hac insuper additâ limitatione, non à Sale & Sulphure quâ tali, sed quatenus resoluta sunt &c. quâ in parte nobiscum consentit Celeberrimus *Bohnius Circuli Anatom. Physiolog. Progymnasm. XV.* inquiens corporum texturam, per quam particulæ Salino-Sulphureæ tenuissimæ, aut invicem aut reliquis laxius & ita cohærent, ut leviori motui cedant, & ab Aëre facile abripiantur, odorum formalitatem constituere. Sulphuream substantiam basin odorum esse, pergit idem Autor, colligere jubemur exinde, quod cuncta odorifera inflammabilia existant, aut aliquid inflammabilis involvant: aliquid Salis verò hanc sibi combinatam gerere probabile fit, quod hæc sola Sulphuribus solvendis inserviant. Tenuitatem & exilitatem harum particularum evincunt modò dicta &c. Tandem motum illorum minimorum ultimum odoriferis actum imponere patet, quod (1) Aër calidior odora magis quævis reddat corpora: (2) Per reiteratam corporum ejusmodi, etiam compactiorum, v. g. succini attritio-

nem

nem odores excitentur, citiusq; exhalent; (3) Olentia per fixationem & motūs particularum refrænationem inodora fiant, v. g. Camphora cum Oleo Vitrioli soluta: contra Sal Armoniacum per se inodorum, quod ejus substantia Urinosa & graveolens ab Acido Salis marini retinebatur, per commixtionem cum Calce vivâ aut Cineribus clavellatis Urinsum fœtorem spiret, Sale volatili Urinæ in pristinam libertatem vindicato, quod itidem à solutione illâ Camphoræ sperandum, si affusione Aquæ Olei Vitrioli repagula divellantur. Haec tenus laudatus Bohnius.

§. 11. Pollicem huic insuper premit Experientissimus quondam *Ettmüllerus Medic. Theor. & Prax. General. Instruct. c. XX. §. 15.* docens, præter motum illum certum in membranâ narium intimâ concitatum, & formale in odore constituentem, materiale constituere particulas Volatiles, peculiari suâ texturâ ita conformatas, ut suo contactu membranam narium movere queant. Et cùm idem Autor §. 17. ejusdem capit is differentiam explicat, cur rasura ligni Sassafras per vesicam destillata Oleum det admodum suaveolens, per Retortam verò Igne aperto tractatum Oleum suggerat fœtidum fortiter empyrevmaticum; rationem differentiæ hujus in texturæ saltem mutatione, & in plus minus arcta particularum concentratione consistere dicit; ut ita verum maneat, quot modi sint in conformatio ne particularum odoriferarum, tot adæquatas quoque ab iis fieri impressiones.

§. 12. Sed tempus monet ut reliquo odore nos etiam conferamus ad saporem, quem Chemicorum filii describunt, quod sit qualitas corporis mixti orta à Sale ad rerum differentias linguæ repræsentandas. An verò ejusdem per Salia explicatio saporum naturam exhausta, aliis judicandum relinquo; verum quidem est primum sapidum Sal esse, & corpora cuncta alias sapidissima, si iis Sal intrinsecum

cum tollas, amittere saporem: non verò, ut in qualitate odoris indicatum, Salia quà talia id præstant, sed quatenus certà magnitudine, figurâ & motu determinata ac modificata, atque hinc prout illorum figura rudit & pungens fuerit, vel polita & orbicularis, siveque organo magis vel minus adæquata, lingvam etiam palatumq;, tanquam gustûs organa, jucundè vel injucundè vellicabunt, & consequenter diversos excitabunt sapores, quorum diversorum saporum prolixa & accuratissima explicatio legi potest in Incomparabilis Willisi Tractat. de Anima Brutor. c. XII. Scopus enim noster non est explicare modum, sed insufficientiam tantùm Principiorum Chemicorum quà talium ostendere. Præterea constat dari corpora plurima salina, nihilominùs tamen insipida: Exempli loco possunt esse C.C. & Oculi cancri, in quibus ne ἥεν quidem saporis deprehenditur, cùm tamen nullum Chemicorum fugiat sat notabilem eosdem suggerere quantitatem Salis Nitrofi. Manet igitur verum, sapores præcipue consistere in certà magnitudine, figurâ & motu partium, à quibus omnis illorum oritur varietas. Quod autem certa ac determinata in particulis gustum sufficientibus requiratur moles, cum magni nominis Medico ac Philosopho Haffniensi Caspary Bartholino Specim. Compend. Physic. c. XII. exinde colligo, quoniam multa corpora sunt insipida, non quia destituuntur figurâ quæ linguam afficere possit, sed quoniam requisitam non habent.

§. 13. Ut deniq; Chemicis quoq; ostendatur, colores, quos per qualitates corporis mixti explicant, ortas à Sulphure ad rerum differentias oculis repræsentandas, posse generari vel aboleri nullâ interveniente vel Salini, vel Mercurialis, vel Sulphurei principii corporum accessione vel mutatione, unicum solummodo afferam experimentum

G

hōc

hōc & præterito anno ab Excell. Dn. D. HOFFMANN O in Collegio Chemicō demonstratum. Scil. si vitrō solutio-  
nem Vitrioli communis, in Aqua fontanā factam, & per fil-  
trum trajectam, infundas, huicque postmodum superaddas  
paululum de infusione Gallarum pulverisatarum in Aqua  
fontanā pariter instituta, & percolatione limpida reddita,  
ex comistione utriusque liquoris color emerget ater, atra-  
mento simillimus, qui si iterum exoptetur limpидus, in-  
stillando guttas aliquot Aquæ Fortis vel Spiritū Vitrioli,  
atro deposito colore pelluciditatem suam pristinam ite-  
rum acquiret; quod si verò placeat colorem denuò revo-  
care atrum, id præstabit Oleum Tartari iteratis vicibus in-  
fusum, quod quidem insignem excitabit effervescen-  
tiā, bullasque exsurgere faciet plūrimas, nihilomi-  
nus tamen iis cessantibus color desideratus ater iterum re-  
dibit.

§. 14. Rationes Phœnomeni hujus, cur sc. solutio-  
nes hæ duæ mox atrum, mox limpidum, mox denique  
atrum iterum induant colorem, si quis quærat, possent  
dari sequentes: Videlicet dum solutiones Vitrioli &  
Gallarum sibi commiscentur, ater ideo emergit color,  
quoniam gallarum particulæ à solutione Vitrioli arripi-  
untur, insimulque meatibus antea perviis æther excludi-  
tur, ac radiorum lucis transitus inhibetur. Quampri-  
mùm verò instillatur Spiritus Vitrioli, ille, præprimis  
in subsidium veniente agitatione vitri, proximè contiguas  
particulas iterum dissociat, viamque ætheri antea occlu-  
sam rursus pandit. Tandem si superaffundatur Oleum  
Tartari, cum ipso tanquam Alkali Spiritus Vitrioli Aci-  
dus primùm effervescit, postmodum coagulatus rursus  
proprius coire facit primæ mixturæ particulas, ut non  
possit non ater color redire.

### §. 15. Hoc

§. 15. Hoc & reliqua phænomena, parâgraphis antecedentibus per totum caput secundum proposita, si quis præconceptis opinionibus liberatus paulò accuratori mentis trutinâ pensitaverit, nunquam iis assentiri poterit, qui omnes odorum, saporum & colorum differentias ex principiis Chemicis proficiisci putant, ut itaque eò majori admiratione dignum sit, non solum Chemicos, sed magni nominis etiam Philosophos huic sententiæ acquiescere. Nam si cum Acutissimo J. B. du Hamel considero experimenta à summo seculi hujus Philosopho, Robertum Boyle puto, proposita, sunt ejusmodi ut non audeam decernere, an quæ dicimus principia Chymica vel elementa, aliud quiddam sint quam partium figura, contextus, motus & quies. Et modò laudatus Boyle Præfat. *Introduct. ad Chymist. Sceptic.* in hæc erumpit verba: Et quantum quidem haetenus dignoscere possum, millena sunt naturæ Phœnomena præter plurima accidentia ad corpus humanum spectantia, quæ liquido & sufficienter vix explicabuntur ab iis, qui tam angustis cancellis se coërcent, ut res à Sale, Sulphure & Mercurio, cæterisque, quæ Chymicis peculiares sunt, notionibus deducant, nec diligentius multò, quam solent, animadvertant ad motus & figuras minutarum partium materiæ, reliquasque magis catholicas corporum affectiones &c. Cuius vestigia premit celebris ille Cattorum Medicus & Philosophus Henricus Majus in *Physic. Veter. Nov. Synops. Sect. III. cap. I.* qui postquam in axiomate primo satis doctè probavit principia Chemica omnibus mixtis naturalibus inesse, & ex iis inter se & cum elementis variè mixtis, mineralium, plantarum & animalium corpora formari, statim axiomate secundo addit: non tamen principia hæc prima, sed ad summum secundaria dici possunt; ratio-

nem hujus asserti autem reddit in ejusdem capitinis axiomaticae V. expressis verbis: quia maximam partem ex mechanicis ducuntur, & ad ea omnino revocantur.

§. 16. Nostro igitur iudicio mitius cum Rofincio illi sentiunt, qui Sal, Sulphur & Mercurium non pro primis principiis, sed ex elementis mista prima corpora agnoscunt, & hinc nec per ea sola quæ talia res naturales explicant.

### CAPUT III.

*Principia Chemica non simpliciter ex Physicis  
eliminanda esse, docens.*

#### §. 1.

PRincipia itaque Chemica non esse prima, proindeq; nec sola sufficientia ad explicandas res naturales, in capite præcedente, ut puto, satis probatum erit. Ne autem iniquius & durius forsitan, ut sæpè fieri solet, audi-recogamur judicium, mentem nostram porrò paucissimis, antequam Dissertationem hanc finiamus, explicabimus. Scilicet non ii sumus qui Chemiam, artium nobilissimam & utilissimam aspernemur, utpote probè gnari, ipsam non solum maximos & inumeros in foro Medico habere usus, sed nec Philosophiam, imprimis verò Physicam eâ carere posse, cum corporum naturam, differentias, causas atque proprietates sine pyrotechniâ novisse, teste Helmontio sit impossibile.

§. 2. Neque principia ejusdem in totum rejicimus, sed dubitamus modò, an prima sint, & omni corpori convenient: nam quæ præcedente capite dicta, non eum in finem allata sunt, ut Chemicorum principia convelleremus, sed ne quis forte plus æquo his principiis tribuat, quasi aut.

1000

20.

aut ea omnino prima existerent , aut de eorum numero planè conveniret , aut ex iis qualitates omnes & vires corporum ducerentur , aut eadem omnibus rebus interessent.

§. 3. Manet itaque iisdem suus honos , & eò magis quidem , quoniam , ut ante dictum , præter ingentem , quem in Medicinâ habent usum , non minorem eadem afferunt rebus Physicis , præprimis si cum principiis omnium primis conjungantur ; qnod haud difficile esset demonstratu , nisi brevitatis Studiosi & tempori parcentes colophonem Dissertationi huic imposituri properarenuis , eò quidem induxi , quia præter plurimos alios , non minori prolixitate quam eruditione illud jam præstitit nunquam satis laudandus *J. B. du Hamel Lib. I. de Corpor. Affection. c. VIII. & IX. item de Consens Veter. & Nov. Philosoph. Lib. IV. c. I. II. seqq.*

Et hæc sunt quæ pro ingenii virib⁹ , exercitii gratiâ , cursitante calamo conscripsi ; divinæ interim benignitati debitas agens gratias , quod cursum studiorum meorum hactenus secundarit , eamq; rogitans , ut eundem & imposterum ita ve lit dirigere , ut ominia in proximi salutem , Ejusq; , quod præcipium , honorem vergant.

S. D. G.

C 3

Ne

၆၁။ နိုင်ငံတော်မြတ် နိုင်ငံတော်မြတ် နှောက် ၆၁။ နိုင်ငံတော်မြတ် နိုင်ငံတော်မြတ် နှောက်

Ne pagellæ hæ vacuæ relinqu-  
rentur, placuit sequentia  
addere,

# ΕΠΙΓΜΕΤΡΑ.

J

*Scientia Physica cum Medicina magna est affinitas.*

II.

*Physiologia nihil aliud est, quam pars specia-  
lier Physics, consideratio scil. corporis hu-  
mani.*

III.

Nec minori jure Pathologia Physica & annumerari  
potest.

IV.

*Botanica, Anatomia & Chemia non tam Medicinae, quam Physicae partes sunt & solum.*

V.

*Sex Res, vulgò Nonnaturales à Medicis dictas,  
non male titulo insigniri posse Rerum Natu-  
ralium, putamus.*

## VI. Mor.

VI.

*Morbus Res est merè Naturalis.*

VII.

*Sano sensu statuere Vacuum, non videtur esse absurdum.*

IX.

*Sol, Planetæ & reliquæ Stellæ non sunt corpora naturalia.*

X.

*Motum corporis humani non dependere ab anima, sed solo Deo, nulli dubitamus.*

XI.

*Omnia corpora, etiam frigidissima, aliquid in se habere ignis, firmiter credimus.*

XII.

*Stellas fixas validum habere influxum non solum probabile, sed etiam certissimum est.*

XIII.

*Mundum esse finitum neq; Phænomenis, neq; Rationibus probari potest.*

XIV. An-

XIV.

*Animas Plantarum & Brutorum esse corporreas, extra omnem dubitationis aleam possum est.*

XV.

*Hypothesis de Propagatione animæ humanae per traducem, propter speciem falsitatis, nobis nullo modo arridet.*

XVI.

*Animas humanas immediatè creari à Deo qui credunt, à veritatis tramite non aberrant.*

